

**Liv. 1, 8, 5**

5. Deinde, ne vana urbis magnitudo esset, adiciendae multitudinis causa vetere consilio condentium urbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem natam e terra sibi prolem ementiebantur, locum, qui nunc saeptus descendentibus inter duos lucos est, asylum aperit.

**Sen. ad Helv. 7, 7. 10**

7. Romanum imperium nempe auctorem exulem respicit, quem profugum capta patria, exiguas reliquias trahentem, necessitas et uictoris metus longinqua quaerentem in Italiam detulit. Hic deinde populus quot colonias in omnem prouinciam misit! ubicumque uicit Romanus, habitat. Ad hanc commutationem locorum libentes nomina dabant, et relictis aris suis trans maria sequebatur colonos senex. .... 10. Vix denique inuenies ullam terram quam etiamnunc indigenae colant; permixta omnia et insiticia sunt. Alius alii successit: hic concupiuit quod illi fastidio fuit; ille unde expulerat eiectus est. Ita fato placuit, nullius rei eodem semper loco stare fortunam.

**Verg. Aen. 1, 539-543**

Quod genus hoc hominum? quaeue hunc tam barbara morem  
Permittit patria? hospitio prohibemur harenae; 540  
Bella cient primaque uetant consistere terra.  
Si genus humanum et mortalia tēnitis arma,  
At sperate deos memores fandi atque nefandi.

**8, 685-688**

Hinc ope barbarica uariisque Antonius armis, 685  
Victor ab Aurorae populis et litore rubro,  
Aegyptum uirisque Orientis et ultima secum  
Bactra uehit, sequiturque (nefas) Aegyptia coniunx.

**12, 791-842**

Iunonem interea rex omnipotentis Olympi  
Alloquitur fulua pugnans de nube tuentem:  
"Quae iam finis erit, coniunx? quid denique restat?  
Indigetem Aenean scis ipsa et scire fateris  
Deberi caelo fatisque ad sidera tolli. 795  
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus haeres?  
Mortalin decuit uiolari uulnere diuum?  
Aut ense (quid enim sine te Iuturna ualeret?)  
Ereptum reddi Turno et uim crescere uictis?  
Desine iam tandem precibusque inflectere nostris, 800  
Ne te tantus edit tacitam dolor et mihi curae  
Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.  
Ventum ad supremum est, terris agitare uel undis  
Troianos potuisti, infandum accendere bellum,  
Deformare domum et luctu miscere hymenaeos: 805

Vltcrius temptare ueto." sic Iuppiter orsus;  
 Sic dea summisso contra Saturnia uultu:  
 "Ista quidem quia nota mihi tua, magne, uoluntas,  
 Iuppiter, et Turnum et terras inuita reliqui;  
 Nec tu me aëria solam nunc sede uideres 810  
 Digna indigna pati, sed flammis cincta sub ipsa  
 Starem acie traheremque inimica in proelia Teucros.  
 Iturnam misero (fateor) succurrere fratri  
 Suasi et pro uita maiora audere probaui,  
 Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum; 815  
 Adiuro Stygii caput implacabile fontis,  
 Vna superstitione superis quae reddita diuis.  
 Et nunc cedo equidem pugnasque exosa relinquo.  
 Illud te nulla fati quod lege tenetur,  
 Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum: 820  
 Cum iam conubiis pacem felicibus (esto)  
 Component, cum iam leges et foedera iungent,  
 Ne uetus indigenas nomen mutare Latinos  
 Neu Troas fieri iubeas Teucrosque uocari  
 Aut uocem mutare uiros aut uertere uestem. 825  
 Sit Latium, sint Albani per saecula reges,  
 Sit Romana potens Itala uirtute propago:  
 Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia."  
 Olli surridens hominum rerumque repertor:  
 "Es germana Iouis Saturnique altera proles, 830  
 Irarum tantos uoluis sub pectore fluctus.  
 Verum age et inceptum frustra summitte furorem:  
 Do quod uis, et me uictusque uolensque remitto.  
 Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt,  
 Utque est nomen erit; commixti corpore tantum 835  
 Subsident Teucri. morem ritusque sacrorum  
 Adiciam faciamque omnis uno ore Latinos.  
 Hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget,  
 Supra homines, supra ire deos pietate uidebis,  
 Nec gens ulla tuos aequè celebrabit honores." 840  
 Adnuit his Iuno et mentem laetata retorsit.  
 Interea excedit caelo nubemque relinquit.

**Hor. *carm.* 1, 37**

Nunc est bibendum, nunc pede libero  
 Pulsanda tellus, nunc Saliaribus  
 Ornare puluinar deorum  
 Tempus erat dapibus, sodales.  
 Antehac nefas depromere Caecubum 5  
 Cellis auitis, dum Capitolio  
 Regina dementis ruinas  
 Funus et imperio parabat  
 Contaminato cum grege turpium

Morbo uirorum, quidlibet inpotens	10
Sperare fortunaque dulci	
Ebria. sed minuit furorem	
Vix una sospes nauis ab ignibus	
Mentemque lymphatam Mareotico	
Redegit in ueros timores	15
Caesar ab Italia uolantem	
Remis adurgens, accipiter uelut	
Mollis columbas aut leporem citus	
Venator in campis niualis	
Haemoniae, daret ut catenis	20
Fatale monstrum: quae generosius	
Perire quaerens nec muliebriter	
Expauit ensem nec latentis	
Classe cita reparauit oras,	
Ausa et iacentem uisere regiam	25
Voltu sereno, fortis et asperas	
Tractare serpentes, ut atrum	
Corpore conbiberet uenenum,	
Deliberata morte ferocior:	
Saeuis Liburnis scilicet inuidens	30
Priuata deduci superbo	
Non humilis mulier triumpho.	

***carm. 3, 24, 9-24***

Campestres melius Scythae,	
Quorum plaustra uagas rite trahunt domos,	10
Viuunt et rigidi Getae,	
Inmetata quibus iugera liberas	
Fruges et Cererem ferunt	
Nec cultura placet longior annua	
Defunctumque laboribus	15
Aequali recreat sorte uicarius.	
Illic matre carentibus	
Priuignis mulier temperat innocens	
Nec dotata regit uirum	
Coniunx nec nitido fudit adultero;	20
Dos est magna parentium	
Virtus et metuens alterius uiri	
Certo foedere castitas,	
Et peccare nefas, aut pretium est mori.	

**Prop. 3, 13, 11-24**

Matrona incedit census induta nepotum

Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.

Nulla est poscendi, nulla est reuerentia dandi;

Aut si qua est, pretio tollitur ipsa mora.

Felix Eois lex funeris una maritis, 15

Quos Aurora suis rubra colorat equis!

Namque ubi mortifero iacta est fax ultima lecto,

Vxorum fuis stat pia turba comis,

Et certamen habent leti, quae uiua sequatur

Coniugium: pudor est non licuisse mori. 20

Ardent uictrices et flammae pectora praebent,

Imponuntque suis ora perusta uiris.

Hoc genus infidum nuptarum, hic nulla puella

Nec fida Euadne nec pia Penelope.

1. [1] Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. [2] Hi omnes lingua institutis legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garunna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. [3] Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate provinciae longissime absunt minimeque ad eos mercatores saepe comeant atque ea quae ad effeminandos animos pertinent important proximique sunt Germanis qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. [4] Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere cotidianis proeliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. [5] [Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano, continetur Garunna flumine Oceano finibus Belgarum, attingit etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum, vergit ad septentriones. [6] Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in septentrionem et orientem solem. [7] Aquitania a Garunna flumine ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceani quae est ad Hispaniam pertinet; spectat inter occasum solis et septentriones].

ibid. 6, 13-19

13. [1] In omni Gallia eorum hominum qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam plebes paene servorum habetur loco, quae nihil audet per se, nullo adhibetur consilio. [2] Plerique cum aut aere alieno aut magnitudine tributorum aut iniuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant. Nobilibus in hos eadem omnia sunt iura quae dominis in servos. [3] Sed de his duobus generibus alterum est druidum, alterum equitum. [4] Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrat magnoque hi sunt apud eos honore. [5] Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, et siquod est facinus admissum, si caedes facta, si de hereditate, de finibus controversia est, idem decernunt, praemia poenasque constituunt. [6] Siqui aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima. [7] Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, nequid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius redditur neque honos ullus communicatur. [8] His autem omnibus druidibus praest unus, qui summam inter eos habet

auctoritatem. [9] Hoc mortuo aut, siqui ex reliquis excellit dignitate, succedit aut, si sunt pares plures, suffragio druidum adlegitur; nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. [10] Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt eorumque decretis iudicisque parent. [11] Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata existimatur, [12] et nunc qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur.

14. [1] Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt. Militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem. [2] Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. [3] Magnam ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli videnos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis utantur litteris. [4] Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferri velint neque eos, qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere, quod fere plerisque accidit ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. [5] In primis hoc volunt persuadere non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto. [6] Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et iuventuti tradunt.

15. [1] Alterum genus est equitum. Hi cum est usus atque aliquod bellum incidit — quod ante Caesaris adventum fere quotannis accidere solebat, uti aut ipsi iniurias inferrent aut inlatas propulsarent —, omnes in bello versantur. [2] atque eorum ut quisque est genere copiosiusque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

16. [1] Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus, [2] atque ob eam causam qui sunt adfecti gravioribus morbis quique in proeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant aut se immolatuos vovent, administrisque ad ea sacrificia druidibus utuntur. [3] quod pro vita hominis nisi hominis vita reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque eiusdem generis habent instituta sacrificia. [4] Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent: quibus succensis circumventi flamma exanimantur homines. [5] Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio aut aliqua noxia sint comprehensi, gratiora dis immortalibus esse arbitrantur. Sed cum eius generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.

17. [1] Deorum maxime Mercurium colunt. Huius sunt plurima simulacra, hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem et Martem et Iovem et Minervam. [2] De his eandem fere quam reliquae gentes habent opinionem: Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Iovem imperium caelestium tenere, Martem bella regere. [3] Huic, cum proelio dimicare constituerunt, ea quae bello ceperint, plerumque devovent; cum superaverint, animalia capta immolant reliquasque res in unum locum conferunt. [4] Multis in civitatibus harum rerum extractos cumulos locis consecratis conspicari licet: [5] neque saepe accidit ut neglecta quispiam religione aut

capta apud se occultare aut posita tollere auderet, gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

18. [1] Galli se omnes ab Dione patre prognatos praedicant idque ab druidibus proditum dicunt. [2] Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt; dies natales et mensium et annorum initia sic observant ut noctem dies subsequatur. [3] In reliquis vitae institutis hoc fere ab reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverunt ut munus militiae sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur filiumque puerili aetate in publico in conspectu patris adsistere turpe ducunt.

19. [1] Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis aestimatione facta cum dotibus communicant. [2] Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur fructusque servantur; uter eorum vita superaverit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. [3] Viri in uxores sicuti in liberos vitae necisque habent potestatem, et cum pater familiae industriore loco natus decessit, eius propinqui conveniunt, et de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quaestionem habent, et si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. [4] Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa; omniaque quae vivis cordi fuisse arbitrantur in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis una cremabantur.

# Tacitus German. 1-2

I.

<sup>1</sup> Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno et Danuvio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur; cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum inmensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regionibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Raeticarum Alpium inaccessio ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danuvius, molli et clementer edito montis Abnobaie iugo effusus, pluris populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat; septimum os paludibus hauritur.

2.

<sup>1</sup> Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium adventibus et hospitibus mixtos, quia nec terra olim, sed classibus advehebantur qui mutare sedes quaerebant, et immensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam

peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit?

<sup>2</sup> Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Tuistonem deum terra editum. Ei filium Mannum, originem gentis conditoremque, Manno tris filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Hermiones, ceteri Istaevones vocentur. Quidam, ut in licentia vetustatis, pluris deo ortos plurisque gentis appellationes, Marsos Gambrivios Suebos Vandilios, affirmant, eaque vera et antiqua nomina. Ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint: ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox et a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.

ibid. 4

4.

<sup>1</sup> Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos nullis [aliis] aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, tamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida. Laboris atque operum non eadem patientia, minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inedia caelo solove assueverunt.



11.

<sup>1</sup> De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes praetractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ut turbae placuit, considunt armati. <sup>2</sup> Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutunt: honoratissimum assensus genus est armis laudare.

12.

<sup>1</sup> Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto: proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et inbelles et corpore infames caeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. <sup>2</sup> Sed et levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque numero con-

victi multantur. Pars multae regi vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis eius exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt; centeni singulis ex plebe comites consilium simul et auctoritas adsunt.

18.

<sup>1</sup> Quamquam severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. <sup>2</sup> Dotem non uxor marito, sed uxor marito offert. Intersunt parentes et propinqui ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quaesita nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. In haec munera uxor accipitur. Atque in vicem ipsa armorum aliquid viro affert: hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos conjugales deos arbitrantur. <sup>3</sup> Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculisque sociam, idem in pace, idem in proelio passuramque: hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum: accipere se quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursusque ad nepotes referantur.

<sup>1</sup> Ergo saepta pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. Litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens et maritis permissa: accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus ac per omnem vicum verberare agit. Publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec

<sup>2</sup> corrumpere et corrumpi saeculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum quo modo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur, plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges.

<sup>1</sup> In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas: inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat.

<sup>2</sup> Sera iuvenum venus, eoque inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur; eadem iuventa, similis proceritas: patres validaeque miscentur, ac robora parentum liberi

<sup>3</sup> referunt. Sororum filiis idem apud avunculum qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem artiolemque hunc nexum sanguinis arbitrantur et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam et animum firmiter et domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patru, avunculi. Quanto plus propinquorum, quanto maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia.

23.

1 A. Vitellio L. Vips(t)ano consulibus cum de sup-  
plendo senatu ageretur primoresque Galliae, quae  
Comata appellatur, foedera et civitatem Romanam pri-  
dem adsecuti, ius adipiscendorum in urbe honorum  
2 expeterent, multus ea super re variusque rumor. Ex  
studiis diversis apud principem certabatur, adseveran-  
tium non adeo aegram Italiam, ut senatum suppedita-  
re urbi suae nequiret. Suffecisse olim indigenas con-  
sanguineis populis, nec paenitere veteris rei publicae.  
3 Quin adhuc memorari exempla, quae priscis moribus  
ad virtutem et gloriam Romana indoles prodiderit.  
4 An parum quod Veneti et Insubres curiam intruperint  
nisi coetu alienigenarum velut captivitas inferatur.  
Quem ultra honorem residuis nobilium, aut si quis  
pauper e Latio senator foret? Opleturos omnia di-  
vites illos, quorum avi proavique hostilium nationum  
duces exercitus nostros ferro vique ceciderint, divum  
Iulium apud Alesiam obsederint. Recentia haec: quid  
si memoria eorum oreretur, qui (in) Capitolio et arce  
Romana manibus eorundem prostrati s(int)? Fruen-  
rentur sane vocabulo civitatis: insignia patrum, deco-  
ra magistrarum ne vulgarent.

24.

1 His atque talibus haud permotus princeps et statim  
contra disseruit et vocato senatu ita exorsus est:  
«Maiores mei, quorum antiquissimus Clausus origina-  
Sabina simul in civitatem Romanam et in familias pa-  
triorum adscitus est, hortantur uti paribus consiliis  
in re publica capessenda, transferendo huc quod  
2 usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Iulios  
Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, et in  
vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque et omni Italia  
senatum adscitos, postremo ipsam ad Alpes promo-  
tam, ut non modo singuli virium, sed terrae, gentes in  
3 nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi-  
quies; et adversus externa floruimus, cum Transpa-  
dani in civitatem recepti, cum specie deductarum per  
orbem terrae legionum additis provincialium validissi-  
4 mis fesso imperio subventum est. Num paenitet Bal-  
bos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Nar-  
bonensi transivisse? Manent posteri eorum nec amo-  
re in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exi-  
tio Lacedaemoniis et Atheniensibus fuit, quamquam  
5 armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arce-  
bant? At conditor nostri Romulus tantum sapientia  
valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein  
cives habuerit. Advenae in nos regnaverunt; liberti-  
6 norum filii magistratus mandare non, ut plerique fal-  
luntur, repens, sed priori populo facultatum est. At  
cum Senonibus pugnativimus: scilicet Vulsci et Aequi  
numquam adversam nobis aciem instruxere. Capti a  
7 Gallis sumus: sed et Tuscis obsides dedimus et Sam-  
nitium iugum subiimus. Ac tamen, si cuncta bella  
recenseas, nullum brevioris spatio quam adversus Gal-  
los confectum: continua inde ac fida pax. Iam mori-  
8 bus artibus adfinitatibus nostris mixti aurum et opes  
suas inferant potius quam separati habeant. Omnia,  
patres conscripti, quae nunc vetustissima creduntur,  
nova fuere: plebei magistratus post patricios, Latini  
post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos.  
Inveterascet hoc quoque, et quod hodie exemplis tue-  
mur, inter exempla erit.»